



siue eorum semisses proportionales. Cum autem ex his tres sunt datae, dabitur etiam quarta  $BH$  partium 62. scrup. 6. ascensio recta à puncto solstitij, siue  $HE$  partium 27. scrup. 54. à uerno æquinoctio. Similiter ex datis lateribus  $FG$  partium 78. scrup. 31. &  $AF$  earundem partium 66. scrup. 32. & quadrante circuli, habebimus angulum  $AGF$  partium 69. scrup. 23. s. proxime, cui ad uerticem positus  $HGE$  est æqualis. Hoc exemplo & in cæteris faciemus. Illud autem non oportet ignorare, quòd meridians circulus signiferum in signis quibus tropicos contingit ad rectos secat angulos. Nam per polos ipsum tunc secat, ut diximus. Ad puncta uero æquinoctialia eo minorẽ recto faciat angulum, quo signifer à recto declinat, ut iuxta minimam quidem inclinationem partium sit 66. scrup. 32. Est etiam animaduertendũ, quòd ad æquales signiferi circumferentias, quæ ab æquinoctialibus tropicis uel punctis sumuntur, anguli & latera triangulorũ sequuntur æqualia, quemadmodũ si describerimus æquinoctialis circumferentiã  $ABC$ , & signiferum  $DBE$ , sese in  $B$  signo secãtes, in quo sit æquinoctiũ, assumpserimusq; æquales circumferentias  $FB$  &  $BG$ , atq; per polos motus diurninos quadrantes circulorum  $KFL$  &  $HGM$ , erunt bina triangula  $FLB$  &  $BMG$ , quorũ latera  $BF$  &  $BG$  sunt æqualia, & anguli q; ad  $B$  uerticem, & qui circa  $L$  &  $M$  recti. Igitur per VI. sphaericorum æqualium laterum & angulorũ. Ita  $FL$  &  $MG$  declinationes æquales & ascensiones rectæ  $LB$  &  $BM$ , & reliquus angulus  $F$  reliquo  $G$ . Eodem modo patebit in assumptis à puncto tropico equalibus circumferentijs. Veluti cum  $AB$  &  $BC$  hinc inde æquales fuerint à tropico contactu  $B$ : deductis enim ex  $D$  æquinoctialis circuli polo quadrantibus  $DA, DB$ , erunt similiter bina triangula  $ABD$  &  $DBC$ , quorum bases  $AB$ , &  $BC$ , & latus  $BD$ , utriq; commune sunt equalia, & anguli qui circa  $B$  recti, per VIII. sphaericorũ demonstrabuntur triangula ipsa equaliũ esse laterũ & angulorũ: quo manifestũ fit, q; unius in signifero quadrantis anguli, tales & circumferentiæ expositæ reliquis



h ij totius